

Quaestiones Ovidianae criticae.

Particula III. *)

Trist. V, 1, 7:

Integer et laetus laeta et iuvenilia *lusi*.

Quae vulgaris huius versus scriptura per se quidem nihil profecto habet, quod in lectorum offensionem incurrere possit: '*ludere*' enim ita non solum ab Ovidio verum etiam ab aliis usurpari notum est. Sed quaeritur quid codices illi praebeant, qui in Tristium libris emendandis duces sunt sequendi, quos esse Gothanum, Hamburgensem, Palatinum I, Bernensem a Rudolfo Merkelio demonstratum est prolegomenon ad Tristium libros pag. XXI—XXXI et a me quaest. Ovid. crit. part. I cap. III et IV. Quo loco cum equidem codicis Hamburgensis conlationem a Paulo Daniele Longolio factam edidissem, nunc nuper ipsum codicem quem deperditum esse omnes putaverant Havniae in bibliotheca regia adservari veri simillimum eis factum est, quae M. Islerus in Annal. philolog. et paedagog. vol. LXXV et LXXVI pag. 288 disputavit. Sed illuc redeamus. Gothanus igitur et Hamburgensis et Bernensis hanc illius versus lectionem suppeditant:

Integer et laetus *laeta et iuvenilia scripsi*.

Palatinus autem

Integer et laetus *iuvenilia carmina lusi*.

unde facile apparet Palatinum hoc loco esse corruptum, fortasse ex glossemate explicandi gratia in margine archetypi adscripto: '*scripsi*' autem communi trium illorum codicum auctoritate esse restituendum. Ne vero '*scribere*' ver-

*) Prima harum quaestionum particula Bonnae prodit CIOIOCCCLIII, secunda Coloniae CIOIOCCCLV.

bum ea significatione positum ab Ovidii consuetudine dicendi abhorre existimes, quattuordecim exempla sufficient desumpta illa quidem ex solis Tristium et ex Ponto libris: Trist. II, 303 et 497 et 549, III, 1, 18, V, 12, 35 et 61. Ex Ponto I, 5, 10 et 15, III, 4, 17, III, 9, 21, IV, 2, 29 et 34, IV, 13, 33 et 37.

Trist. V, 1, 15 ed. Teubn.:

Delicias si quis lascivaque carmina quaerit,
Praemoneo nunquam scripta quod ista legat.
Aptior huic Gallus blandique Propertius oris
Et plures quorum nomina magna vigent.

Horum versuum secundo quae subiecta sit sententia, dubium esse nequit: si quidem hoc dicere poetam manifestum est, in Tristium libris delicias et lasciviam frustra quaeri. Sed videndum est num iste pentameter in orationis continuitatem quadret, quod equidem nego. Nam cum Ovidius omnibus qui praegrediuntur versibus dicitaverit 'lectorem toto carmine dulce nihil' inventurum: nonne admodum insulsus esset, si iam delicias in libro suo non eses quaerendas adseveraret? de qua re minime est quod poetam elegantissimum suspectum habeamus. Accedit quod, ut sententia istius versus quasi ultro se offert, ita ipsa verba difficillima sunt explicatu. Hinc sequitur ut versus de quo agitur ab Ovidio abiudicandus sit et sede sua movendus: quod ubi factum erit, non poterimus non etiam proximum hexametrum, in quem eadem suspitio non cadat, pessumdare. Vtrumque vero versiculum pariter atque illum, qui in interpolatis quibusdam codicibus pro 18. exhibetur, veri simile est confictos et insertos esse ab hominibus rationem eorum habentibus, quae Ovidius Tristium libri II versibus 445—468 dixerat. Relicuum est ut interrupta eiectis versibus orationis perpetuitas restituatur: cui rei cum ita satisfieri facillime possit, ut 'et' ab initio versus 18 positum in 'sunt' mutemus, haec prodit scriptura:

Delicias si quis lascivaque carmina quaerit:

Sunt plures, quorum nomina magna vigent.

De hoc autem loco satis habui quid ipse sentirem proposuisse neglectis aliorum sententiis, quas vel enumerare longum est.

Trist. V, 1, 43 ed. T.:

Nec tamen, ut lusit, rursus mea littera ludet:

Sit semel illa *meo* luxuriata *malo*.

Ita ex uno Zulichemiano codice paucissimis tantum lectionibus nunc quidem noto ab Heinsio eiusque sententiam secuto Merkelio scribitur. Neque vero opus est confugere ad hanc unius eiusdemque fere ignoti codicis scripturam, cum quae leguntur in optimis codicibus recte explicari possint. Est enim in Gothano et Hamburgensi '*ioco luxuriata meo*' *), in Bernensi '*meo luxuriosa ioco*' quod fere eodem redit: e Palatino I nihil enotatum est, ut quid praebeat dubium sit. Iam vero '*ioco luxuriari*' vel '*ioco luxuriare*' interpretandum esse 'valde iocari' vel 'iocando modum transire' ex multis non solum ipsius Ovidii sed etiam aliorum scriptorum locis consequitur. Et Nasonis quidem loci hi sunt: Art. I, 360 M., Heroid. I, 54 M., XV, 192 M., Metam. XIV, 629, Fast. I, 690, VI, 644; ex aliis autem scriptoribus hos laudasse locos satis habui: Cic. de orat. II, 23, Horat. ep. II, 2, 122, Plin. nat. hist. IX, 2, XVI, 25, 40, XIX, 6, 34 S. Quocirca Ovidius querella ista '*sit semel illa ioco luxuriata*' hoc dicit: 'satis sit semel eam iocando modum transisse'. Vt vero suum fuisse illud iocum quo littera luxuriata sit significet, '*meo*' adiungit. Hoc quamvis paullo argutius videatur, tamen dubium nullo modo est, cum Ovidius tales lusus etiam in severis tristibusque rebus habuerit in deliciis. Quam poetae consuetudinem ad partes iam vocavimus in harum quaestionum part. I p. 30. Vbi quos ex Tristium et ex Ponto libris adtulimus locos, eis ad illustrandam Ovidii rationem hos visum est

*) Hamburgensem '*meo*' non '*suo*' exhibere conlatio a me volgata docet.

ex Metamorphoseon libris petitos addere. VIII, 664, ubi coena quam Baucis et Philemon Iovi et Mercurio hospitibus apparaverunt describitur, initium hoc est:

Ponitur hic bicolor sinceræ baca Minervæ.

In quibus verbis '*sinceræ*' adiectivum eo consilio esse positum, ut bacæ simul et Minervæ virginis ratio significaretur, recte monuerunt interpretes. IX, 409 Acmaeon, qui mente alienatus multas terras pererravit '*exul mentisque domusque*' vocatur. X, 92 laurus '*innuba*' dicitur, quod Daphne virginitatis conservandæ studiosa in eam mutata est. X, 520 de Adonide Myrrhae ex Cinyra patre filio ita scriptum est: '*ille sorore Natus avoque suo*'. Quæ omnia cum ita sint, versus de quo disputavimus hæc est forma:

Sit semel illa ioco luxuriata meo.

Trist. V, 2, 40:

Subtrahis effracto tu quoque colla iugo?

Hanc lectionem quam primus recepit Heinsius facili negotio intellegi posse vix est quod dicamus. Sed unde deprompta sit videndum est. Iam vero ex eis codicibus quorum auctoritas hic sola valet unus Bernensis eam exhibet, Gothanus vero et Hamburgensis Bernensi præstantiores (de Palatino I nihil cognitum est) '*et fracto*' produnt. Quod cum ita explicari queat, ut factum est a Vito Loersio, non dubitamus isto '*effracto*' abiecto huc restituere.

Trist. V, 7, 35:

Quæque modo Euboicis lacerata est fluctibus audet

Graia Caphaream currere puppis aquam.

Nemo quod equidem sciam in hexametro huius distichi quidquam unquam addubitavit præter unum Bentleium qui non '*lacerata*' sed '*iactata*' legendum esse censet. Cuius mutationis rationem ab eo non subiectam esse ex eis quæ infra scripta sunt intellegitur *). Sensit autem Bentleius

*) Bentleii emendationes Ovidianæ adiectæ sunt tomo V. editionis Ovidii Oxoniensis, Quæ quod nuper demum in notitiam meam

rectissime. Etenim *'lacerata puppis'*, si comparaveris eos Ovidii locos, ubi *'lacerare'* verbum vel *'lacer'* adiectivum cum *'puppis, ratis, navis, tabulae'* substantivis coniunctum legitur, non alia erit accipienda quam *'fracta navis'*. Quod ut perspiciatur, ab re non alienum videtur illos locos apponere. Ex Ponto III, 6, 19: *'Nec quia Neptunus navem lacerarat Vlixis Leucothoe nauti ferre negavit opem'*. Ibidis 275 (de eadem re): *'Sollertique viro, laceratae quem fracta tenentem membra ratis Semeles est miserata soror'*. Ex Ponto II, 3, 27: *'Ut fera nimbo tumuerunt aequora vento, in mediis lacera nave relinquitur aquis. Cumque alii nolint etiam me nosse videri, vix duo proiecto tresve tabulis opem'*. Ex Ponto III, 2, 6: *'Tu laceratae remanes anchora sola rati'*. Heroid. II, 45: *'At lacerata etiam puppes furiosa refeci'*. Art. I, 411: *'tunc si quis creditur alto, vix tenuit laceratae naufraga membra ratis'*. Metam. XI, 427: *'Aequora me terrent et ponti tristis imago. Et lacerata nuper tabulas in littore vidi'*. Iam vero, ut illuc revertamur, et quae praecedunt huic disticho prohibent quominus poetam cum fracta nave se comparare putemus, et quae modo fracta sit navis eam non statim in easdem aquas reduci posse cuius facile est intellectu. Vnde efficitur ut *'lacerata'* hoc loco minime sit ferendum: contra tale quoddam participium quod navem tempestatibus vexatam significet perbene huc cadere qui totam elegiam perlegerit non diffitebitur. Ei consilio praeclare inservit *'iactata'* a Bentleio commendatum, utpote quod verbum saepe numero ab Ovidio ea quae hic requiritur significatione usurpetur. Ad quod comprobandum satis esse duximus quattuordecim hos significasse locos: Trist. I, 2, 39 et 11, 13 et 11, 39; III, 2, 15. Ex Ponto IV, 10, 10. Fast. III, 595.

perlata est, nemo erit qui mihi vitio vertat, cum Hauptio, Lachmanno, Merkelio prorsus ignota fuisse videatur. Emendationum autem haec est ratio, ut solae coniecturae a Bentleio factae et soli qui ei exterminandi videantur versus indicentur neque vero argumenta quibus ad sententiam suam adductus sit proponantur.

Metam. IV, 535; XI, 441 et 664; XIII, 709; XIV, 560; XV, 772. Sed etiam ad pentametrum distichi de quo agimus animus est convertendus. In quo accusativum illum *'Caphaream aquam'* primus Nicolaus Heinsius edidit provocans ad Pont. lib. I. eleg. IV' (I, 3, 76): *'Quo duce trabs Colchas sacra cucurrit aquas'* et ad Pont. II. eleg. VI' (II, 6, 11): *'Nunc mihi naufragio quid prodest discere facto, quam mea debuerit currere cymba viam?'* At nunc postquam studio et opera Merkelii, cui non *'paucula quaedam'* ut ipse qua est modestia alicubi dixit, sed permulta Ovidius debet, longe melior illarum ex Ponto epistularum fortuna et condicio facta est, ita scribendos esse locos ab Heinsio laudatos scimus. I, 3, 76: *'Quo duce trabs Colcha sacra cucurrit aqua'*. II, 6, 11: *'Nunc mihi naufragio quid prodest discere facto, quam mea debuerit currere cymba via?'* Itaque quod Heinsius ad fidem lectioni suae faciendam protulit argumentum nunc nullum est, immo contrâ cum pugnat. Similis ratio reliquorum est locorum in quibus *'currere'* verbum ita, ut ubi curratur indicatum sit, ab Ovidio usurpatur. Namque vel ablativum solum vel, quod semel factum est, *'in'* cum ablativo vel denique *'per'* cum accusativo, nusquam vero nudum accusativum ei adiungi videmus. Et omnes quidem loci quos dico hi sunt: Heroid. XVII, 6 M., Rem. am. 398 M., Amor. III, 6, 29, Metam. VIII, 203 et 557; Fast. II, 360; Heroid. V, 37, XIV, 101, Fast. I, 652, Trist. III, 4, 16 et 9, 8, Metam. V, 612. Quae cum ita se habeant, usus Ovidianus omnino cum ea lectione facit quae ante Heinsium hoc loco edita est. Sed si cui sic quoque scrupulus resideat, prorsus is tollitur codicum testimonio Gothani, Hamburgensis, Bernensis, quippe qui consentientes ablativum *'Capharea aqua'* servaverint. De Palatino quidem nihil cognitum est, sed ponamus accusativum in eo legi, id quod minime veri simile est: tamen ne tantillum quidem inde conligi possit contra codices dignitate pares

et contra rationes ex consuetudine dicendi Ovidiana petitas. Ita igitur posthac illud distichon scribendum erit:

Quaeque modo Euboicis *iactata* est fluctibus, audet
Graia *Capharea* currere puppis *aqua*.

Trist. V, 7, 53:

Unus in hoc *non est populo*, qui forte Latine
Quaelibet e medio reddere verba queat.

In priore versu Burmannus 'scriptorum plurimorum et editorum quorumdam' lectionem '*Unus in hoc populo nemo est*' 'temere non mutandam' censet. At Palatinus I cum plurimis aliis '*Unus in hoc non est populo*' exhibet, Bernensis transpositis verbis '*Unus in hoc populo non est*', Gothani denique prima manus '*populo*' omittit, ut, cum Palatino an cum Bernensi faciat, diiudicari non possit. Iam cum Palatinus praestantior sit quam Bernensis, rectissime Merkelius illius scripturam edidisse putandus est: Loersium vero, qui post Merkelium lectionem Burmannianam ut 'insolentior' retinuit, apertum est in errore versari. Accedit nunc ad sententiam Merkelii confirmandam Hamburgensis testimonium ut ex conlatione a me edita patet cum Palatino conspirantis.

Trist. V, 7, 65:

Sic animum tempusque traho *meque ipse* reduco
A contemplatu *dimoveoque* mali.

Quod in pentametro huius distichi a Merkelio scriptum est '*dimoveoque*', novum ex Hamburgensi praesidium nactum est eandem lectionem exhibente. Contra '*meque ipse reduco*' hexametri vulgarem lectionem recte se habere diffidendum est. Etenim in Palatino I et Hamburgensi '*me sicque reduco*' in Gothano '*sic meque reduco*' legitur. Unde '*me sicque reduco*' germanam huius loci scripturam esse efficitur.

Trist. V, 12, 67:

Sic utinam, quae *nil* metuentem tale magistrum
Perdidit, in cineres Ars mea versa foret.

Pro *'nil'* in Palatino I *'nec'* scriptum fuit, quod non aptam praebet sententiam. Gothanus vero et Hamburgensis *'non'* prodiderunt, quae lectio quin recte explicari queat nemo dubitabit. Iam cum horum duorum auctoritas codicum maior sit quam omnium reliquorum, *'non'* in eiectioni *'nil'* locum debet succedere.

Trist. V, 13, 5:

Perque dies multos lateris cruciatibus uror,
Sed quod non modico frigore laesit hiems.

Pentametri initium *'sed quod'* codicum auctoritate satis est firmatum. Sed cum difficilem et ab Ovidiana simplicitate remotum habeat explicatum, interpretibus iure offensionem fuit. Quo facto, ut aliorum inventa omittam, Heinsius *'id quod non modico'* vel *'saeva quod immodico'* coniecit, Schraderus in schedis autographis Berolini adservatis, ut opinor (vid. Merkel. prol. ad Trist. pag. XLI) *'ut quod non modico'*, ductus fortasse scriptura codicis Hamburgensis; e quo *'ut quid'* Heinsius enotaverat. Neque vero Schraderi coniectura difficultate laborat, immo facilis et expedita est: nisi forte indicativo *'laesit'* in ratione causali usurpato dubitatio excitetur. Quae cum eis quae infra disputabimus tollatur, si illam emendationem probes, minime videaris a vero aberrare. At non est coniectura tantum, sed optimi codicis lectio. Etenim in codice Hamburgensi, de quo in apparatu Merkeliano nihil est relatam, non *'ut quid'* sed *'ut quod'* scriptum esse conlatione a me edita docetur. Quapropter illud *'sed quod'* abicere in eiusque locum *'ut quod'* sine ulla cunctatione restituere posse mihi videor. Quaerat autem hic quispiam, num indicativus ille *'laesit'* post *'ut quod'* in enuntiato causali locum tenens, satis ille quidem aliorum scriptorum usu probatus, congruat cum Ovidii consuetudine dicendi. Neque id iniuria quaeratur, cum notissimo illo loco Metam. I, 605 ita locutum esse Nasonem constet: *'Atque suus coniunx ubi sit, circumspicit, ut quae deprensi totiens*

iam nosset furta mariti. Sed Ovidius libere in talibus versatus saepe numero modum indicativum relativo adiunxit, ubi, cum ratio vel causa alicuius rei subiciatur, coniunctivum iure expectes. Quod comprobatur eis quae infra posui Tristium librorum exemplis. I, 3, 41: '*Causa mea est melior, qui non contraria fovi arma, sed hanc merui simplicitate fugam*'. Quo loco multi codices nec vero qui duces sunt sequendi et veteres editiones usque ad Aldinam secundam '*quia non*' praebent: quod ut scriberent librariis insolentior visus indicativus suasit. II, 1: '*Quid mihi vobiscum est, infelix cura, libelli, ingenio perii qui miser ipse meo?*' II, 5: '*Causa mea est melior qui nec contraria dicor arma nec hostiles esse secutus opes*'. Ubi quae in Palatino I et alio codice fuit scriptura '*quod non*' et quae in sex codicibus '*quia non*', cae non dubium est quin eandem originem, quam illud '*quia non*' primi loci, habeant. II, 431: '*Par fuit exigui similisque licentia Calvi, detexit variis qui sua furta modis*'. III, 1, 49: '*Adice servatis unum, pater optime, civem, qui procul extremo pulsus in orbe latet: in quo poenarum, quas se meruisse fatetur, non facinus causam, sed suus error habet*'. III, 14, 9; '*Est fuga dicta mihi, non est fuga dicta libellis, qui domini poenam non meruere sui*'. IV, 8, 15: '*Non ita dis visum, qui me terraque marique actum Sarmaticis exposuere locis*'. V, 11, 3: '*Indolui, non tam mea quod fortuna male caudit, qui iam consuevi fortiter esse miser*'. Quod cum ita sit, non recte Trist. V, 8, 5 ex solo Bernensi et tribus aliis codicibus ita scribitur: '*Nec mala te reddunt mitem placidumve iacenti nostra, quibus possint inlacrimare ferae?*' immo reliquorum omnium codicum, etiam Hamburgensis, lectio '*possunt*' restituenda est. Neque vero in temeritatis suspensionem me vocatum iri puto, quod genuinam formam celeberrimi illius versus qui est Trist. V, 10, 37 in Gothano et Bernensi et novem aliis codicibus hanc servatam esse contendo:

Barbarus hic ego sum, *qui non intellegor ulli.*

His quos in disceptationem vocavimus e quinto Tristium libro locis addere extremum placet illum, qui I, 2, 91 ita volgo editur:

Ferte — quid hic facio? — *rapidi mea carbasa venti!*

Ausonios fines cur mea vela vident?

In quibus verbis quod inde a Nicolao Heinsio ab omnibus editoribus repetitum est '*carbasa*', id unus tantum Gottorpianus codex ad posteritatem propagavit. Contra ea omnes omnino codices '*corpora*' tuentur: nam quod in Hamburgensi '*cornua*' fuisse dicitur, error est, cum '*corpora*' in textu qui vocatur, '*cornua*' autem ut variam scripturam in illo exhiberi conlatione a me foras data comprobetur. Et illam omnium uno excepto codicum lectionem editoribus non probatam esse mihi quidem mirum videtur. Primum si Ovidius '*carbasa*' scripsisset, parum ab eo elegantiae esset consultum. Quid enim caussae fuisse putemus, cur poeta eiusdem significationis vocabulum, '*carbasa*' et '*vela*' dico, in versibus proxime conlocatis proponeret? Nihil: immo talis quaedam repetitio molesta videtur et fere inepta. Sed ut fuerit repetendi iusta caussa: nonne idem vocabulum bis poni oportuit? Deinde '*corpora*' tantum abest ut non conveniat in hunc locum, ut facillime explicari possit. Ovidius enim cum aliorum vocabulorum pluralem numerum pro singulari positum in deliciis habet, de qua consuetudine a Loersio ad Trist. III, 1, 27 recte disputatum est, tum ipsum hoc substantivum '*corpora*' saepissime ita adhibet. Et in Tristium quidem opere de se ipso loquens sic scripsit I, 2, 37: '*At pia nil aliud quam me dolet exule coniunx: hoc unum nostri scitque gemitque mali. Nescit in immenso iactari corpora ponto, nescit agi ventis, nescit adesse necem*'. III, 3, 39: '*Nec mea consueto languescunt corpora lecto?*' III, 8, 24: '*Ei mihi, perpetuus corpora languor habet*'. Praeterea, ut alia exempla adferam, Ovidius '*corpora*' pro '*corpus*' scripsit Metam. I, 527, ubi de

Daphne Phoebum fugiente agitur, II, 663, ubi Ocyrhoe Chironis filia de se loquitur, III, 695, ubi Pentheus Bacchum comprehendi iubet, V, 461, ubi pueri in lacertam '*variis stellatam corpora guttis*' mutatio narratur, VIII, 256 ubi perdix '*non alte sua corpora tollit*'; Fast. II, 596, ubi Iuppiter a nymphis petit, ut '*obsistant*', '*ne*' Iuturna '*sua flumine corpora mergat aqua*'. IV, 143, ubi Venus a satyris se videri '*sensit et opposita texit sua corpora myrto*'. V, 414, ubi Chiron '*bis septem stellis corpora cinctus*' memoratur. Quibus exemplis facili negotio permulta addi possunt: sed quae attulimus satis sunt. Iam vero si animum attenderimus ad illum de quo agimus locum, quis non facile intellet eius hanc esse sententiam: '*Asportate me ex hoc loco, venti: non est quod vela navis meae ad Italiam quam modo reliqui respiciant*'. Cum autem poeta ventos ut se asportent hortatur, *navem* qua vehatur significari vix opus est moneri.

Ioann. Petr. Binsfeld.